Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1323
Quelle:
Copyright:

Rem in luce ponet Praefatio. *Cum in hortis Magnifici et ſummi uiri Georgij Hellacheri pręſidis Portusnaonis, proximis nonis maijs, ego multique pręterea ciues ab illo acciti conſedimus animorum recreandorum cauſa: uarijsque, ut fit, de rebus eſſemus multum diuque locuti, in eum tandem ſermonem incidimus: qui frequens erat de miraculis: quę apud Caſtellum Fanam quadam in ędicula Marię uirgini dicata crebro fieri dicebantur. Qua de re inter nos mox altercari coeptum eſt. Fuerunt enim, qui non temere dicerent, eorum, quę rumor attuliſſet, miraculorum nullum uerum eſſe poſſe. Contra etiam, qui ſuis quibusdam rationibus inhęrentes aſſererent, ea miracula uideri fieri potuiſſe. Quę quidem diſceptatio cum a meridie ad coenam usque protracta eſſet, multaque illic ultro citroque dicta forent memoratu et ſcitu digna: uiſum eſt mihi, non eſſe reprehendendum: ſi eorum ſeriem mandarem literis: quod poſteris exiſtimarem hac de re forſitan quęrentibus et uoluptati et utilitati fore. Cęterum ut ejusmodi materies exiſteret cum commodior explicatu: tum lectu audituue iucundior: Reuerendum patrem et grauem uirum Jacobum Gordinum Aquilejenſem Archidiaconum induxi mecum colloquentem: quod is mihi uiſus eſt idoneus: qui iuriſconſultus celeberrimus et ſapientiſſimus iudicatus: ea ipſa de re facile diſputare poſſet. Ad hunc igitur accedens, quem in ędium ſuarum ambulacro commorantem feci, ita ſum exorſus.* Libenter haec deſcripſi; qui enim quaſi perpetuo greſſus inter barbari aevi ſalebras molior, in amoeniſſimo prato adquieſcere mihi viſus ſum; ita terſus et caſtigatus eſt *Haedi* noſtri Sermo. Dialogum porro is ſuum ita auſpicatur: Petrus Hędus. *Video mi obſeruande pater, opportune me iſtuc hodie ueniſſe: quandoquidem et otioſus es, et ſolus.* Jacobus. *Quid tibi eſt negotij?* Petrus. *Id, quod rumor forſitan etiam ad te attulit &c.* Ita diſceptationem ingrediuntur, cujus argumentum: *Quid diceretur, eſſetque miraculum: deinde quid maxime neceſſe foret, ut aliquid rite miraculum et appellaretur et eſſet: pręterea quis poſſet facere miracula: Tum quid inter diuina diabolicaque miracula intereſſet: Poſtremo quemadmodum diuina quirent a diabolicis diſcerni.* Quibus ſolide eruditeque diſcuſſis obtinet *Jacobi* ſententia: *Ea, quę illic* (Fanae) *mira dicuntur eſſe facta: aut non extitiſſe miracula: aut non deo, ſed diabolo tribuenda potius fuiſſe.* Quanquam prima ejusdem ratio minus mihi ſatisfaciat: *Non uidetur ueriſimile, glorioſam Virginem Mariam, relicta ſpretaue urbium oppidorumve frequentia deſertum ſacellum illud et abiectum, quod a latrone quodam olim erectum fuiſſe dicitur: et in quo pecora ſępe uerſarentur: delegiſſe miraculorum faciendorum cauſa.* Potiora ſunt hiſtorica: vix aliquem ibi vere ſanatum fuiſſe, nonnullos incidiſſe in pejora, quin mortem; velut arreptitios tremere, ſalire, currere, decidere denique